



R. P. Thomæ Tamburini È Societate Jesu Opera Omnia

Tamburini, Tommaso

Lugduni, 1689

Prima Regula.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78172)

CAPVT VI.

De ministro Communione.

DE Communione ministro qui est solus Sacerdos, & ex commissione ipsius, urgente aliqua causa, & semper quando instat mors alicuius, deficientis tamen Sacerdotis, Diaconus. Ita Suar. de Eucharist. disp. 7. sect. 1. Delugo de Euchar. disp. 18. sect. num. 27 aliqua tetigimus in praecedentibus. Verum nunc in proprio loco nonnulla sunt, ad complementum tractationis, addenda.

§ I. Quo habitu, quo die, qua hora, quibus circumstantiis est ministranda Eucharistia.

DE statu gratiae an requiratur in ministrante tantum Sacramentum, diximus per occasionem, supra cap. 1. §. 7. num. 59. Nunc ergo caetera quaedam, de exteriorum pertinentia, sic breviter percurramus.

1. Primum, non opus est, ut Sacerdos hoc Sacramentum ministrans, sit ieiunus: siquidem in nullo iure praeceditur. Ita Bonacina de Euchar. disp. 4. §. 5. p. n. 4.

2. Secundum, omni anni tempore ministrari potest. Dubitatur tamen an possit die Parasceves, hoc est Veneris Sancti, quando certum est non licere Sacerdoti celebrare, sed solum, ex praefatis die antecedenti communicare. Sic Delugo de Euchar. disp. 20. sect. 1. n. 14.

3. Tertium, ut extra periculum mortis non esse passim in usu. Sic Horrad. de Sacrific. disp. 4. diff. 2. citans Suar. Vals. Layman. (in illo enim periculo posse, immo debere non est dubium.) Hic tamen non usus nequaquam inducit obligationem peccati eo die communicanti, sed decetia duntaxat, propter merorem passionis Domini nostri: & sicubi usus est communicandi, iam est decetia ratio, ipso usu sic interpretante, cessat.

4. Tertium, mane ministrari solet: sed Vesperti, vel interimperta nocte, possit ieiunus ministrari, citius extra mortis necessitatem: Sic Sa. de Euchar. n. 19. Suar. de Euchar. disp. 69. sec. 4. quod tamen est facile concedendum propter populi admirationem, Sic Coninch. Bonac. de Sacram. disp. 2. qua. 7. puncto 1. n. 14.

5. Quartum, ex Bonacina ibid. quest. 5. p. 2. a num. 8. Parocho non licet Eucharistiam ad infirmum deferre, sine stola, & superpelliceo, & non praecedente lumine, nec idem tenetur, si timeat praepropetam infirmi mortem, valde scilicet currere: quia videntur haec reverentiae debita repugnare: quamvis possit ex Bonac. ibid. extremam unctionem sine tanta solemnitate deferre: quia Sacramentum Oleum materia est Sacramenti, non vero Sacramentum, At ad baptizandum, vel absolvendum infirmum, qui secus creditur in mortali moriturus, non solum possit, sed etiam currere minister debet: Sic ibidem, quia id non cedit in ullius Sacramenti irreverentiam: & ex alia parte maxime proximi charitas urget.

§ II. An ministrari Eucharistia possit indigno.

In hac quaestione, qua quaeritur: An ei, qui cognoscitur esse in statu peccati mortalis portigi a Sacerdote, sine peccato, communicatio possit. Certum est Primum, Ministrum per se loquendo, quando saltem commode, & sine ullo inconvenienti valet, non posse

ei quem mortaliter indignum positivè certò congosci (nam in dubio quilibet praesumendus est bonus, & communicandus) saltem ob regulam generalem, qua obligamur vitare, & impedire proximorum peccata, quando commode possumus. Ita Suar. de Euchar. disp. 67. sect. 1. Ruffus certum est ibid. nec posse invitare, aut alicui indigno suadere, ut recipiat Sacramentum, saltem quando non adest necessitas. Sic idem disp. 8. sect. 2. §. sed quares Bonac. disp. 1. de Sacram. q. 5. p. 4. n. 6. Ratio est quia id esset movere directè ad peccandum.

8. Certum est secundò, Publico peccatori petenti sive publicè, sive secretò Sacramentum, non posse sine peccato ministrari. Ita Suar. ib. & passim. Recentiores Ratio est, quia obstat illud Matth. 7. Nolite Sanctum dare canibus: obstat reverentia Christo Domino debita, obstat cooperatio cum alieno peccato.

9. Iuvabit tamen hic exscribere quae affert pro praxi circa publicum peccatorem Caramuel lib. 3. Th. mor. num. 139. i. Vsurarii (inquit) publici, communes peccatores alii quando tanguntur à Deo & respiciunt, &c. unde me consule, magno consilio, & examine utaris antequam publice petenti Eucharistiam neges publicè; & quia in Aliari nec tempus examinandi suppetit, nec dantur quos consilium possit, ubicunque praxia resolutione antequam eo veneris Sancti & coram Deo non staueris negare Eucharistiam tali persona, si petet, concedito, nam negare est res gravissima, quae non debet fieri impetu extemporaneo. Ego quidem prima vice nemini mortali negarem, quem non scirem certò esse in omnium opinione non baptizatum, delirum, aut arbitrii impotem. Si certò scirem meretricem habitare in lupanari. Vsurarium in telonio, & ex Aliari ad has domos iterum peccatores, & populum scandalizatos reverti (sed quando similia monstra actionum data!) audacter Communione negarem.

10. Certum est tertio, Peccatori occulto publicè penitenti Eucharistiam sive à simplici Sacerdote, sive à Parocho, cum par sit ratio, denegandam non esse: Sic Suar. alique quos citat & sequitur Delugo de Sacram. disp. 8. sect. 10. quia omnes habent obligationem non laedendi famam proximi, & ex alio capite, sibi imputet peccator, quod indignè sumit, cum Minister totum, quod ex se facit, sit tale, ut possit esse bonum, & sine peccato. Sic idem Delugo ibid. sect. 1. n. 181.

11. Certum est quarto, Peccatori occulto, secretè petenti denegandum esse: Ita Doctores citati: quia tunc nulla sequitur peccatori infamia, & consequenter Sacerdos non habet excusationem unde concedere cogatur. Illud igitur hic maxime est pro praxi, considerandum, equisnam dicatur in hac materia publicus, quis occultus peccator. Placet modus id explicandi traditus à Suar. de Euchar. disp. 67. a sect. 5. vide etiam Fagund. praecip. Eccles. 3. lib. c. 10. quem ut faciliorem reddam, & breviorē, his sequentibus regulis distinguo.

Regula Prima.

12. Si peccatum petentis Sacramentum sciatur ab aliis, coram quibus petitur, dicitur publicum, sanè respectivè ad hoc: quare illi denegandum erit Sacramentum, semper praec oculis habendo ea, quae n. 3. insinuat. Ratio est, quia iam non sequitur in famia ex denegatione. Certò autem tunc, licet occultè, dicitur his constare petentis peccatum: quando vel ipse extra confessionem Sacramentalem illud fallus est (nam si intra illam, dicam mox n. 20.) vel ipsi altantes viderunt, vel à fide dignis audierunt, certoque sciunt petentem nondum fuisse illud Sacramentaliter confessum: id enim est certò constare illum esse graviter indignum.

Secunda Regula.

13. Si peccatum petentis Sacramentum sit evidens, evidenti iuris, vel evidenti facti, tunc licet aliquibus praesentibus sit ignotum, dicitur petens publicus peccator